

Sed ad majora redeamus. Ex aethere igitur innumera-
biles flammae siderum existunt: quorum princeps est sol,
omnia clarissima luce collustrans, multis partibus major atque
amplior, quam terra universa: deinde reliqua sidera magni-
tudinibus immensis. Atque hi tanti ignes tamque multi, non
modo nihil nocent terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt,
ut si moti loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis
ardoribus, moderatione et temperatione sublata.

Cap. XXXVII. Hic ego non mirer esse quemquam, qui
sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua vi et
gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum
ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimet
fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innu-
merabiles unius et viginti formae literarum vel aureae,
vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram
excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod
nescio, an in uno quidem versu possit tantum valere
fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant, ex corpusculis
non colore, non qualitate aliqua, quam *ποιότητα* Graeci
vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere atque
casu, mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in
omni puncto temporis alios nasci, alios interire. Quod si
mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum,
cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt
minus operosa, et multo quidem facilliora. Certe ita temere
de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admi-
rabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse
videantur. Placlare ergo Aristoteles. *Si essent, inquit, qui
sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis,
quae essent ornata signis atque picturis, instructaque
rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur,
nec tamen exissent umquam supra terram; accepissent autem
fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum;
deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis*